

que pignora communi extimatione vendi possint usque ad quantitatem septem milium ducatorum. Que si facta non fuerint, ut supra, tunc incurrat Commune Venetiarum in penam ducatorum decem milium per quolibet vice seu anno. Et si tribus annis, seu per tres vices in solutione, depositione et consignatione predictis dictum Commune Veneciarum cessaverit, tunc per dictum regem, ejus successores, coronam et presidentes predictos singula singulis referendo, seu pro ejus parte fieri debeant protestationes et denuntiationes contra dictum Commune Venetiarum tres et per temporum intervalla, videlicet pro unaquaque denuntiatione inter protestationem et denuntiationem sex mensium. Que protestationes et denuntiationes fiant coram infrascripto iudice, sic tamen et taliter quod per dictum iudicem dicte tres denuntiationes et protestationes ad notitiam dictorum ducis et Communis Veneciarum deducantur. Et si tribus vicibus, seu tribus annis continuis vel interpolatis cessatum et contrafactum fuerit et facte fuerint ut supra dicte protestationes et denuntiationes et non fuerit soluta sors predicta in loco predicto, vel facta non esset consignatio pecunie et depositio pignorum predictorum cum solutione dictarum penarum dicto domino regi vel suis successoribus, vel corone vel alicui predictorum nomine ipsorum recipienti, ut prefertur et elapsa forent tempora omnia predicta, tunc duntaxat et non antea intelligatur presens pax rupta dicto domino regi. Item quod dicto casu liceat dicto serenissimo domino regi et successoribus ejus in regno et corona petere et exigere dictas sortes sive prestationes pro dictis annis, quibus solutio facta non esset. Et dictas penas, in quas dicta occasione esset incursum. Et ultra liceat dicto domino regi et successoribus ejus predictis uti quibuscunque iuribus suis sibi competentibus in dictis buccis et ad eas et versus earum contra Commune Venetiarum, non obstante in aliquo presenti transactione nec pactis, perinde ac si facta non essent et prout poterat ante presentem guerram. Sane tamen intellecto, quod dicto casu occasione presentis pacis vel transactionis vel